

NUMMUS TRIUMPHALIS
 LUDOVICI XII. GALLIARUM RE-
 GIS, POST GENUENSIS REIPUBLICÆ SOPI-
 tam à se, puniramque defectionem: Cusus
 Anno Christi 1506.



Enuenses, absente Philippo Ravensteinio urbis præfecto, armis sumptis magistratui rebellant: neque ab illo, ad rei nuncium ex Galliis reverso, impediri potuit, quò minus populares, frustra repugnante nobilitate, novum ex sese magistratum crearent, quos Tribunos plebis vocabant. Hi Spediam & alia quædam maritima loca expugnant: excusso, uti videri volebant, Gallorum jugo: domi verò nobilium domos expilabant, quorum multi patriâ excesserant. Quidam ex illis, inter quos Joannes Ludovicus Fliscus, Spediâ, cui regis nomine præerat, relicta, ad regem profecti, graves de plebe querelas instituunt. Rex eò molestius illorum defectionem tulit, quò æquiora in ipsos imperia se exercuisse noverat. Cujus indignationem veriti Genuenses, omnem rei culpam in nobilitatem derivare conati, missâ legatione, non se à rege defectionem, sed contra impotentem paucorum dominatum, necessariam defensionem parasse significant. Sed postquam bellum in se decretum audivêre, manifestè jam regis imperium detrectantes, Paulum quendam Nonium, serici panni tinctorum, de plebe hominem, sed industrium, Ducem creant. Rex ubi hæc audit (jam enim Ravensteinus furori plebis cesserat) haud morandum ratus, cum validis copiis in Italiam iter parat: propiusque cum exercitu Genuam accedens, superatis locorum aliquot difficultatibus, resistentes haud magno negotio in fugam conjecit. Reliqui omnes, urbem, seque fortunasque suas omnes, illius fidei & misericordiæ commisêre. Sexaginta judicio traditi, reliqui certis conditionibus in gratiam recepti sunt. Nonius paucis diebus ex fugâ adductus, capite pœnas luit. De *Hysrice* Oppianus refert: quod, cum spinas sive aculeos suos, albicantes alios, alios nigricantes, conspecto hoste, extendit atque erigit, nulla in sylvis opacis fera horribiliore aspectu appareat. Magis, similem ad modum, terrore potentiæ suæ, quàm gladiis actormentis in gyrum obedientiæ Genuenses reduxit Gallus: *ultus injurias non suas modo, sed & avorum*, à quibus urbs eadem non semel defecerat Gerard. de Roo. Author.